



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Regularibus. Consilium CCCCLXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

in causa quadam super simili transactione, cum quibusdam Monialibus facta, aliter quam docuit consulendo, ex sententia dicti Frederici de Senis respondit, *conf. 136. Ex consilio nu. 2. in fine*, jus delatum dumtaxat, multo ergo magis necdum delatum à Prælato & conventu sic alienari posse. Proinde ex capite nullitatis non potest oppugnari hæc transactio.

4. Ut nec oppugnari potest ex eo, quod non cum ipsa Margareta domina proprietaria dictorum bonorum, sed cum ipso Monasterio transactum sit. Nam cum iure receptum sit, rem alienam etiam vendi posse, propter jus commercij; etiam si per huiusmodi venditionem nullum præjudicium domino in iure suo fiat, *l. Rem alienam De contrah. empt.* ut scilicet inde nascatur obligatio personalis ad traditionem vel præstationem eius quanti interest, & traditione facta & re evicta, ad evictionis præstationem, *l. 1. in princ. de act. empti*; consequens quoque est, utilem esse hunc contractum, ab initio quidem, quoad obligationem personalem, quâ Monasterium cogi poterat ad traditionem seu transportationem; nunc verò ex eventu sequente professionis dictæ Margarete, & acquisitionis horum bonorum, per ingressum illius in Monasterium, *d. Authen. Ingressi. c. In presentia de probat.* ad hoc, ut efficaciter ex superveniente hoc dominio non possit Monasterium vindicare hæc eadem bona à dicto Ioanne, aut ab ejus hæredibus. Improbè enim vindicaret Monasterium rem à se velut distractam; sic ut exceptione doli mali rectè repelli posset, si vindicaret: regula enim vulgaris est, quod quem de evictione tenet actio, eundem vindicantem repellat exceptio, *l. Vindicantem De eviction.*

5. Quæ quidem consideratio hoc quoque efficit ut nihil etiam ad annullandam hanc transactionem faciat tertium illud, quod Margareta curatoris auxilio destituta fuerit. Nam stat hæc transactio non ex capite Margarete, cum qua negotium hoc contractum non est, sed ex capite Monasterij, in quod per ingressum & professionem Margarete omne jus transfusum est, *d. Auth. Ingressi*; non obstante minore ejus ætate; non obstante etiam, quod curatoribus caruerit: quia ut ad ingressum Monasterij nihil opus est auctoritate curatoris, *Pancr. in d. c. In presentia nu. 1. & ibi Decius*; ita nec ad alienationem illam bonorum, quæ fit per ingressum. * Quæ alienatio & transfusio in Monasterium facta, confirmavit effectum transactionis adversus Monasterium: ut jus pignoris de re alienâ confirmatur, superveniente dominio illi, qui eam pignori dedit, *l. Cum res c. Si aliena res pign. data sit*. Ita ut nihil sit, quod huius transactionis effectum retundere possit, præsertim quia dictum Monasterium hanc eandem transactionem approbando & confirmando, etiam post præstatam confessionem, receperit solutionem dictorum triginta Hollandicorum florenorum: per hoc enim improbandæ, aut rescindendæ transactionis admittitur potestas, etiam si illa ab initio competisset, *l. 1. c. Si maior fact. rat. hab. l. 2. c. Si maior fact. alien. fact. rat. hab.*

7. Et si quis præterea in hac re superest scrupulus, is omnino tollitur per hoc, quod per constitutio-

nes seu ordinationes Caroli Quinti Imperatoris primum in anno 1515. deinde in anno 1540. potestas acquisitionis bonorum immobiliarum, per ingressum Monasterij, quæ iure communi latissime patet, *d. Auth. Ingressi, d. c. In presentia*, supra modum in Comitatu Namurcensi sit restricta, etiam in allodialibus, & multo magis in feudali-bus bonis. Et si enim prior constitutio de anno 1515. successionem permittat in allodialibus; lequens tamen de anno 1540. tollit jus perpetuo retinendi bona immobilia per ingressum illata; data facultate proximis cognatis ingressi, illa jussu pretio redimendi intra triennium à morte ingressi, seu professi. * Sic quod dictum Monasterium sic paciscendo & transigendo cum patre præfata Margarete, tantum concesserit facultatem antever-tendi, seu anticipandi terminum concessæ facultatis redimendi & advocandi huiusmodi bona; & ipsa alienatio censeri debeat facta in casu licito, non prohibito; adeo ut sufficiat adfuisse solus Priorissa & Conventus communem consensum, nec fuerit necessarius superioris alterius consensu, vel auctoritas, neque alia solemnitas observatio, *Lapsus allegat. 26. Phil. exenc. in d. c. i. Derib. Eccles. non alien. nu. 26. versio. nono limita, ancior. d. conf. 136. Rebuff. in tract. de alien. reb. Eccles. nu. 30. in fine*. Concludo itaque dictæ transactioni standum, nec ullam esse occasionem illius vel annullandæ vel rescindendæ, ex causis superius in contrarium, pro ratione dubitandi, adductis.

De Regularibus.

S V M M A R I V M.

Monachus iudicio agens.

1. Debitum probatur chirographo, etiam si datum non habeat.
2. 7. Debitum alteri quando alius rectè exigat.
3. Procurator in rem suam revocari non potest.
4. Monachus acquirere, ac tenere aliquid potest, si sit & servus.
5. Studiorum utilitas & favor.
6. 9. Studiorum causa quæ donatur valde privilegiata.
8. Monachus quando possit in iudicio stare active aut passive.

CONSILIUM CCCCLXIII.

DE veritate debiti, quod ex parte Domini & Fratris Ioannis Cæsaris Religiosi Augustiniensis, Sacre Theologiæ Licentiat, Actoris, in hac causa petitur, adversus Ioannem Blasel Reum, nulla est dubitatio. Quippe duplex de eo extat probatio. * Prior ex claro & liquido chirographo dicti Rei, quo continetur confessio debiti quinquaginta septem florenorum cum dimidio, duabus pensionibus seu terminis, qui ante institutâ hanc litem lapsi erant, solvendi. Ad quod quidem chirographum Reus respondere iustus, & sub pœna confessati monitis, nihil respondit; sic ut monitionis termino elapso pro recognito habitum sit ex contumacia Rei, *l. De etate §. qui tacuit & ibi Doct. De interrog. actioib.* Posterior ex instrumento, seu notulâ notariali, quâ continetur, quod Reus cognoverit se teneri & esse obligatum Ioanni Cæsari patri Actoris presentis & acceptanti, in dictis quinquaginta septem

florenis cum medio; idque expressa causa debiti, ex vendito scilicet lino, & canabe: cujus instrumenti seu notule fidem Reus judicialiter agnovit. Quæ posterior notariæ recognitio discutit difficultatē, quæ prolato solo chirographo exoriri potuisset; quod scilicet datam nullam habeat (quæ tamen in privatis instrumentis necessaria non est, l. Cum tabernam §. idem quasi De pig. Alex. in l. Prætor nu. 2. De eden.) & quod indiscreta causam debiti scilicet nullam contineat, unde solet Reo convento indiscretionis exceptio dari, l. Cum de indebito §. ult. De probat. utriusque enim defectum supplet dicta notariæ recognitio. * Quæ etiam causa est, cur Reus in tota causa de veritate debiti controverfiam nullam fecerit; sed in eo persisterit, quod Actor id exigere non potuerit: neque enim satis est quid debitum esse, si non debeat illi, qui suo nomine id petit, l. In summa §. fin. De condit. indeb. cum quod alij debetur, alius eo invito exigere nequeat, l. Solvendo De negot. gest. Paucis itaque discutiendum, quomodo, & an Reus id rectè contendat.

Et principio quidem certum est, quod alteri debetur, eo volente per alium exigi posse, non tantum revocabiliter; ut in procuratore seu mandatorio ad solutionem exigendam nomine creditoris, l. Vero procuratoris in princ. & §. 1. De solut. Gloss. in l. 3. ad v. mandaveris c. De novat. sed etiam irrevocabiliter, ut est in eo, qui competentem sibi actionem alteri cessit, seu transportavit. * Nam propter hoc initium voluntarium, quod est in ipsa cessione nominis in rem propriam cessionarij, seu mandatarij, facultas exigendi in rem propriam semel data revocari non potest, l. Qui stipendia & ibi Doct. c. De procurat. sed exactionis potestas est, d. l. 3. c. De novat. proprio nomine exigentis, non primi creditoris, Aufserim decis. Tholos. 294. Cum igitur Actor proferat instrumentum notariæ cessi seu transportati huius debiti & actionis per Joannem Cæsaris patrem in dictum huius causæ Actorem filium suum; & præterea aliud subsequens instrumentum continens renovationem ac confirmationem huius cessionis & transportus; & utrumque hoc instrumentum Reus recognoverit: nihil ambigendum est, quin voluntate præfati Joannis cedentis Actor agat; qui propter intervenientem cessionem eo etiam invito id facere potest ad suum proprium commodum, l. 3. c. De novat.

Cujus quidem transportus seu cessionis ideo non potest Actor dici incapax, quod sit Religiosus monasticam religionem professus: nam Monachi acquirere non prohibentur; non magis quam servi majore vinculo potestatis domino suo sunt subiecti, quam Monachi vinculo religionis suo superiori: servi autem omni genere acquisitionis acquirere possunt, d. De stipul. servor. per tot. l. 3. c. Per quas pers. nob. acq. ergo & Monachi, Innoc. in c. cum olim 2. De privil. Nec ad rem facit, quod id, quod servus acquirit, eodem momento in dominum transferatur; & non tam ipse, quam dominus acquisivisse intelligatur, l. Placet de acq. hered. nam quamvis idem in Monacho in effectu constituitur, quia quod acquirit, suo superiori seu Monasterio resignare debeat, c. cum ad monast. in princ. De statu Conf. Wamef. Tom. II.

monach. quin tamen tenere possit, licet non habere, dubitatio nulla est; cum idem in servo constituitur, l. possessio §. 1. De acq. possess. Vtique adeo ut non aliter Monacho, quam servo aliquid apud alium deponenti, id restitui debeat, l. Quod servus & ibi Doct. De solutionib. Bartol. in l. In depositi D. De positi. Nam ut servus, ac filius familias aliquid vel simpliciter, vel in peculio retinere possunt ad commodum ipsius patris vel domini, d. l. placet, Doct. in l. cum filiosam. de leg. 1. ita quoque & Monachus, Socinus senior. consil. 10. Quamvis quaestiones supradictæ nu. 2. vol. 1.

Iam verò ad utilitatem Monasterij pertinere hanc patris laici in filium religiosum actionis cessionem, res ipsa demonstrat; quia ei facta est ob honorem, & promotionem ipsius majorem in studijs; in quo consistit non tantum monasterij, sed totius Ordinis utilitas & splendor; præsertim in studio Theologico. Qui enim in eo promovetur, & docti sunt, in Dei Ecclesiâ velut splendor fulgent firmamenti, & velut stellæ in perpetuas æternitates; quia ad justitiam plurimos valent erudire, cap. fin. De magist. & eorum scientiâ mundus illuminatur, Authen. Habita c. Ne fil. pro patre. Unde est, quod Monachus studij causâ obligare possit Monasterium quoad expensam Doctoratus; quia illa concernit utilitatem Monasterij, ut promotus scientiâ sit majoris auctoritatis, velim. in c. cum dilecta nu. 19. de rescript. Multo ergo magis acquirere & exigere potest, quod ex causa ea datur, quia censetur ex consensu & licentiâ superioris hoc esse, qui illum studere patitur. * Donatio seu cessio quoque ex causa donationis ob promotionem, honorem, & dignitatem privilegiata est; cum fieri etiam possit in eos, inter quos aliqui jus donandi non est, l. Quod adipiscenda dignitatis De donat. inter vir. & ux. * Quamvis interim ex hac consideratione nihil emolumenti dicto Reo, qui verè debet, applicari possit; cum creditor possit debitori mandare, ut debitor solvat, cui ipse velit; in cuius exactione debitor ingeniosus, aut malignus esse non debet, qualis is sit, cui creditor id mandavit, l. Si quis servo de solut. Actionum autem cessio earum exercendarum mandatum quoque continet, l. 1. & 2. c. De oblig. & act. Nec hoc prætextu id reculare potest Reus, ne non rectè ei solvat, quod juris potestate non tam ipsi, quam Monasterio, seu ejus superiori acquisitum est: nam juris ratio, quæ patitur, ut servus acquirat domino suo, eadem quoque patitur, ut & is exigere, & ei rectè solvi possit, quia voluntate domini, cui obligatio acquisita fuit, videtur solvisse, qui cum servo negotium contraxit, & deinde solvit, d. l. Quod servus in fine de solut. Quâ in re cum sufficiat etiam tacita domini voluntas & consensus superioris: multo magis sufficere debet expressus superioris dicti Actoris consensus, qui conspicitur in procuratorio dicti Actoris in hac causa exhibito; in quo constat, quod Actor procuratorem ad hanc litem & exigendam hanc pecuniam constituerit de consensu Domini Martini B. sui Prioris. † Per quem consensum quoque removetur, quod Reus non tam apertè, quam tacitè, & velut aliud agendo objicit, quasi Actor non habeat personam standi in iudicio, Gloss. 2. in can. Non dicitur

catis XII. q. I. ut nec servus, l. servus C. De iudic. & procuratorem constituere possit, Clem. Religiosus De procuratoribus usque adeo, ut etiam si ei eriperetur sua cappa (ut inquit Felinus, in c. Cum dilecta nu. 15. De rescript.) iudicio adversus eripientem agere non possit: quasi nihil habere, nihil possidere censeatur, d. c. Non dicatis & ibi Gloss. Nam quamvis regulariter verum sit, Monachum nec activè nec passivè habere personam standi in iudicio, d. c. Religiosus, Auth. Causa & ibi Doct. C. De episc. & cler. nec per se, nec per procuratorem, quem constituere prohibetur, d. Clem. Religiosus: tamen si accedat licentia sui Superioris, non tantum nomine proprio, sed etiam alieno, ut procurator alterius, utique in iudicio stare potest, Card. & alij in d. clement. Religiosus: eaque in parte Monachus filiofamilias comparatur magis, quam servo, l. Longius §. fin. & ibi Gloss. ult. de iudicij. Cum igitur ex dicto instrumento procuratorij constet de consensu Superioris in hanc litem, non potest dici iudicium cum Monacho actum esse nullum: potissimum quia non solus dictus Superior, sed etiam totus dicti Actoris Conventus in huius litis prosecutionem consenserint, & pro maiore atque evidentiore consensu & approbationis argumento, se cautionarios seu fideiussores iudicij, pro expensis nomine dicti Actoris constituerint.

Obijcit tandem Reus fraudem, simulationem, & collusionem; quasi iudicij mutandi causa, & in fraudem juris, facta sit hæc cessio; sed quoniam hæc in facto consistunt, & non probantur, nihil momenti habet hæc cessionis fraudulentæ obiectio. Nihil enim hic occurrit, unde simulatio argui possit: quia cessio tota ex causa donationis est, & ob causam privilegiatam studiorum; nec probatur aliud palam, aliud clam esse actum, l. Per diversa, l. Ab Anastasio C. Mandati. * De quo minus dubitandum est; ob id, quod donatio, seu cessio actionis facta in favorem studiorum, & promotionis in illis, in hoc sit privilegiata, quod illam non impediat consideratio mutandi iudicij aut patrocinij potentioris; ob quam alioquin cessio regulariter prohibetur, l. 1. & 2. C. Ne liceat potent. d. l. Per diversa, & l. ult. C. Mandati, tit. D. & C. De alien. iud. mut. caus.

Nec huic cessionis obstat, quod tempore quo facta est, Actor actu non fuerit scholaris: nam ut favore studij aliquid fiat, non est necesse aliquem in studio esse; sed satis est eum per huiusmodi donationem ad id excitari: ita ut meritis possit huiusmodi donationem exequi, ad eum finem, ut ex actâ pecuniâ sit studendi potestas; cum sine pecuniâ difficile sit vel impossibile studiis incumbere. Verum quidem est, scholarem ex causâ huiusmodi cessionis, foro privilegiato scholarium uti non posse nisi sit actu scholaris, tunc cum debitorem ad privilegiatum huiusmodi forum trahere vult; sed ramen nihil vetat, cessionem fieri antequam scholaris efficiatur, Rebuff. ad consil. regias tomo. 3. de cess. act. artic. 2. Cum ergo Actor in hac causa non agat ex privilegio fori scholarium, sed ex privilegio fori sui Ordinis; dubitatio nulla est, quin causa studij, seu magis promotionis, ei donatum rectè exigere potuerit, etiam non probato studio; præsertim quia ad ulteriorem promotio-

nem Doctoratus aperte percipiatur id factum esse; Quamvis interim huiusmodi obiectio sit iudicij præparatoria, & illius competentiam respiciat: de cuius generis exceptionibus post litem contestatam disceptandum non est, l. Exceptionem C. De probat. d. c. Pastoralis De except. potissimum in hoc statu causæ, postquam Dominus Abbas decrevit se huius causæ iudicem competentem. In tanta igitur petiti debiti veritate, & factæ cessionis integritate, ac idonea qualitate Actoris ad agendum in hac causa; nullam existimamus esse dubitationem, quin Reus Actori, & in petito debito, & in expensis litis condemnari debeat.

De Regular. & transf. ad relig.

S V M M A R I V M.

Monachus an injuriam sibi illatam prosequi possit.

1. Monachus sine Superioris licentia iudicialiter non agi, nisi studiorum causâ absit.
2. Monacho si facta sit iniuria Superior eius agere debet, non Monachus.
3. Testis qui deposuit super articulo iniuriarum, iniuriarum non tenetur.
4. Testis singularis quando fidem faciat.
5. Iniuriarum agens, loci, & tempus exprimere debet.
6. Iniuriarum actio, ut nascatur, oportet iniuriarum animo aliquid factum esse.
7. Iniuriarum quando teneatur, qui de aliquo mentitur.
8. Libelli inepitudo iudicij progressum impedit ac nullitatem illius inducit.

CONSILIUM CCCCLXIV.

LIBELLVS iniuriarum pro parte Fratris Vincentij Hispani, contra Rodericum Rivas exhibitus, nullâ ratione est admittendus: sed est dictus Actor à limine iudicij repellendus; id quæ ex defectu potestatis agendi, & actionis seu formulæ inepta conceptione. * Est etenim dictus Actor Monachus; ut ipsemet unico verbo assertive proposuit, dum dixit se esse ad L. 2. centiam promotum, atque etiam Religiosum. Eoque non asserente, satis id testatur cuculla, & monachalis habitus; qui facit ut tamquam Monachus tractari & iudicari debeat, c. Vi clerici, cap. Ex parte de regul. & transf. Iam verò cum Monachus servo æquiparetur, Innoc. in c. cum olim De privi. Bart. in l. 1. De stipul. servot. personam standi in iudicio non habet, l. servus C. De iudic. saltem non proprio nomine, & sine veniâ, ac licentiâ sui Superioris, c. Ex parte De accusat. Felin. in c. Cum dilecta nu. 15. De rescript. Et quamvis Monachus studiorum causa absens agere possit sine speciali licentia Superioris sui contra quemcumque, Bart. & alij in l. Si longius §. si filius De iudic. Ioan. Andr. in c. 2. De clerici vel monach. & c. Rebuff. de privi. scholar. privi. 156. non potest tamen id, nisi etiam constet, quod de licentiâ sui Superioris, studiorum causa à Monasterio suo absit, & agat ex causa studium concernente; Felin. in d. c. Cum dilecta n. 18. Anfron. decij. 29. & 88. Cum ergo de neutro constet, neque de licentiâ agendi, neque de licentiâ absentie studij causa; imò ne allegatum sit, nec possit alterutri præsumi; quia